

**Protheus nuptialis
illustribus illustrium
sponsorum. Domini
Achatii Tottii ...**

Menius, Fridericus

82 Aa 13/2 Tott



National Library
of Sweden

Ligg. fol.
Vind. B. 10. 1.
(B.)

PROTHEUS NUPTIALIS
 ILLUSTRIBUS ILLUSTRIVM SPONSORVM.
 DOMINI **ACHATII TOTII** DOMINÆ **CHRISTINÆ BRAHE**
 REGNI SVECIÆ SENATORIS, CAMPI COMITIS IN VVISINGSBURG, BARO-
 Marefcalli, Hæreditarij in Eckholmfund, Siwen- nis in *Riddholm & Lindholmen.*
 deby Masal, Liuxala & Gietenäs/
 Equitis Aurati.

TOEDIS

CONSECRATVS

FRIDERICO MENIO. H. & P.



P A R A P H R A S I S :

OCCO TOT ARRA TENET, SIVIS, TENET ARRA TOT OCCO
Grammata quot Sponsi Nomen utrumq; tenet

Id Est:

Arrha Sponsæ data, Occonem Totium jam voto obstritum tenet, Tu, si vis, gratulari Sponsis, uove, & dicta teneat seu producat tot Occones Totios novellos, quot Sponsi utrumq; Nomen, continet literas.

E X E G E S I S.

EXul in Exilio veluti vagus Agnus oberrans
 MENIUS, in somni tempore noctis erat:
 Adstitit ad dextrum latus armiger ejus APOLLO,
 Et iussit vatem psallere dulce chelij.
 Non psallam; respondit inops: Nec psallere possum,
 Quidni? quærit is: hic, deficiente lyrâ.
 Respondet; regerit PHOEBUS: lætam exere frontem,
 Et dulci cantu gutture dulce melos.
 Non contabo; ait hit: Nam vox vix faucibus hæret,
 Flere perinde nimis, sed canere apta minus.

Prhænde igitur calamum, & festivum scribito Carmen,
 Dixit: At huic Vates: ni minus aptus ero:
 Namq; invisa diu multis; nunc Vena negatur;
 Et mihi penna deest; Et mihi charta deest.
 Stulte, quid immeritò laceras te; CYNTHIUS inquit;
 Sors indigna eadem, nonne Nasonis erat?
 Nil minus ex torris patriæ ingeniosa remisit
 Carmina, Sarmaticas quando bibebat aquas.
 En! tibi materiem scripti: placabo sorores,
 Ut tibi sint faciles, ingenioq; tuo.
 OCCO TOT ARRA TENET, SIVIS, TENET ARRA TOT OCCO,
 Grammata quot sponsi nomen utrumq; tenet:
 His mea, quantum vis primùm mens obruta nymbis
 Constat certo vix bene fulta loco.
 Tandem, quod res est, video: Illustris Vir oberrat
 Illustri Illustris Virgo in amore Tui.
 Illius & rursus tu dulci in amore suberras:
 Error & unius sic erit alterius.
 Nec tamen hic multùm, Bone Sponse errasse videris,
 Quicquid agas, id agis, nempè Volento DEO.
 Ille malum, divino etenim pronuntiat ore,
 Extra conjugium si qua quis esse volet.
 Junge igitur Comitem, Sociam, Comitemq; Brahæam.
 Illa Comes Regni, Tu Comes esto Thori.
 Junge Comes Comiti, comitantia Basia multa,
 Jungeq; mutatis basia basiolis.
 Junge Comes Comiti Comiti Comitem, Comes, ipso
 Te Comite & Duce, Te Rege, Barone, Equite.
 Sic Domus ipse tuæ Tu solus es Induperator.
 Conjugis unius solus & unus AMOR.
 Junge Comes Comiti plures Comites Juniores
 Grammata quàm proprium Nomen utrumq; tenet.
 Vince Comes Comitem rore oris, amoris, honoris.
 Vincaris aut vincis, par es amore tamen.
 Seu par seu impar fiat: nolito moveri
 Imparis atq; paris nam DEUS Author idem est.
 O, utinam novies cum PHOEBE ambiverit orbem
 Augeat hunc numerum tertius Adveniens.
 Ille tamen numerus stabilis fiet ordine nolim,
 Impare sed vicibus gaudeat atq; pari;
 Donec litterulas superet vel adimpleat omnes,
 Et fient Phœbi sic rata vota mei.
*Vivite felices in longos Nestoris annos
 Dum numerus numerum par sequiturq; parem.*

Holmiæ Imprimebat Henricus Cæsar, M. DC. XXXVIII.

